

VISIO

Guazelinus, abbas dei gratia, omnibus fidelibus salutem.

1. Gratia diuine bonitatis, que torpori subuenit negligentium, quarto idus Iulii cuidam fratri nostro reuelauit quandam uisionem, saluti ut credimus profuturam fidelium. Omnium uero bonorum inuidus inimicus, nocte que diem precedebat quo hec fieri diuina gratia disposuit, per somnium eum multum
5 fatigauit. Cui matutinorum pulsato signo a necessariis redeunti ipse inimicus obuiauit, quem signo crucis edito a se procul repulit. Finitis autem matutinis idem stratum repetens, paululum requieuit, desideransque missarum celebrare officia, antequam fratres surgerent, ecclesiam petiit. Cui iterum malignus spiritus impropere prohibuit, ne ad predictum officium accedere presumeret. Cumque paululum monasterio orationi insisteret, quendam fratrem e
10 dormitorio accersiuit, qui sibi in diuino ministerio necessaria ministraret. In qua uia et ex quo se cepit preparare, ei diabolus suadebat, ne diuinas laudes celebrare conaretur, in magnum discrimen per hoc eum incidere promittens. Que maligna illusio in tantum eum prosecuta est, quousque ecclesiastico more
15 finita confessione ante altare absolutionem perciperet.

2. Igitur infra missarum sollempnia cum diceret illam orationem: *Iube hec perferri*, audiuit dominum nostrum Iesum Christum dicentem sibi: «Ego in hanc missam in te descendam». Celebratoque diuino misterio cum ad horam communicandi peruenisset, finita illa oratione: *Domine Iesu Christe fili dei*
5 *uiui qui ex uoluntate*, apparuit ei in cruce dominus Iesus Christus. Quem uidens, corpus eius et sanguinem suscepit, uisumque ei in ueritate fuit, ut in eum sicut promiserat descenderet. Postea uero quam uiuificationem corporis et sanguinis Domini accepit, corpore incubante super altare, angelus spiritum eius rapuit.

3. Cumque eum diu detulisset, ad quendam ignem inestimabilis fetoris /107v/ peruenerunt, cuius a terra in celum cacumen tendi uidebatur. Cum autem sciscitaretur quid hoc esset ab angelo, protinus responsum accepit, hunc esse ignem purgatorium, in quo necesse erat ingredi cunctorum animas fidelium. Cui sollicite perquirenti quomodo tantas penas pati possent, respondit
5 quia per orationes fidelium, maximeque per salutes hostias leuius eas tolerabant, dicens etiam animam illius pro quo sacrificium offerretur, per totum spatium misse, nullo estu penarum affici, ceterisque omnibus leuiorem penam habere. Iuxta quem quandam uallem mire profunditatis uiderunt. In qua more uolatilium et sicut uehemens ymber, animas descendere conspexerunt. Cui
10 iterum miranti quid hoc esset, dixit angelus animas esse peccatorum, que de flammis in frigora descendebant rursumque de frigore in flammam ascendebant.

4. Loco igitur ostenso penarum duxit eum in paradysum. In quo cum introissent, uiderunt sanctorum animas, quorum aspectus nullus humanus oculus pre nimia claritate ferre poterat. Horum multitudo uidebatur sibi

innumerabilis^a. Dum autem frater ille eorum inestimabile miraretur gaudium,
5 quidam frater noster Gilbaudus nomine eum cognouit, qui multa ei de fratribus
nostris intimauit, ibique loca quorundam fratrum nostrorum ostendit, per-
hibens quod si in bono perseuerant, ea possidebunt; sin autem aliter egerint,
aliis perseuerantibus donabuntur, monens etiam ut cupiditatem *que radix est*
omnium malorum^b uitaremus, dicens multos monachorum habitum portantes
10 huius rei causa perisse. Domnum etiam Lubricum illi demonstraui, quem
nuper penarum supplicia euasisse indicauit multumque ei nocuisse perhibuit
quod uoluntati secularium nimium placere studuit, et quod culpam pro
electione domni Poponis pontificis dicere noluit. Cum uero domnum Lubricum
transirent, ipse eum pio uultu respexit.

5. In redeundo autem cum non longe a corpore distaret, interrogauit eum
angelus si de Henrico aliquid sciret. «De quo», inquit, «Henrico, domine,
dicis?» «De illo», ait, «Henrico quem uocatis regem. Et hoc scias, quia sicut
uidisti loca fratrum tuorum in paradyso, ita ei locus paratus est in inferno infe-
5 riori, omnesque secte illius atque Wiberti consentientes, nisi per penitentiam
ecclesie reincorporati fuerint, simili sententie subiacebunt, nam diabolos in
necessariis colit. Vnde ualde redarguendi estis, nimiumque est uestris peri-
culosum animabus quia cum metum pergitis, latibula querendo, ueritatem
occultatis. Nam si ueritatem propalare uoluissetis, multos ab errore reuo-
10 cassetis». Finitis his uerbis, rediit anima in corpus.

^a Cf. Rev. 7, 4-9 ^b I Tim. 6, 10